

Jakob Carmon

Rectoris Academiae Rostochiensis, Jacobi Carmon, ... Programma, Qvo Funus Præstantissimi Viri-Juvenis, Nobilissimi Clarissimiqve Domini Theodori Verpoorten, Hamburgensis, Jur. Utr. Cultoris eximii dexterrimique, quo par est ritu solenni hodie paratum, indicit, Utque Corpus Exanime in dormitorium suum, ... decenter deportandum frequenti suo comitatu perhonorifico dignari haud graventur, Proceres & Cives Academicos O. O. Honoratissimos studiosissime ac peramanter rogat & invitat

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1728]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1729843212>

Druck Freier  Zugang



4°

Lehrprogramm
in Physik nach der
eigensammelnden
Händeln.

Jz II
8/300 4

J Z II
8/300

-4°

RECTORIS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JACOBI CARMON,
Ph. & V. J. D. Pand. Prof. Ducal. Publ. Ord.
FCtatis Jurid. Sen. Consistorii Ducalis
Mecklenb. Consiliar. & hodie Director.

PROGRAMMA,

QVO

FUNUS PRÆSTANTISSIMI VIRI-JUVENIS,
NOBILISSIMI CLARISSIMIQUE
DOMINI
THEODORI
VERPOORTEN,

HAMBURGENSIS,

Jur. Utr. Cultoris eximii dexterrimique,
quo par est ritu solenni hodie paratum,
indicit,

Utque

CORPUS EXANIME
in dormitorium suum,

quod in æde D. Virginis apparatus,
decenter deportandum

frequenti suo comitatu perhonorifico
dignari haud graventur,

PROCERES & CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS
studiosissime ac peramanter
rogat & invitat.

R O S T O C H I I,
Typis Io. Iac. Adleri, SEREN. PRINC. & ACAD. Typographi,



Uo haëtenus, & brevi quidem, unius mensis spatium vix paucis diebus superante, tempore, funera Vobis, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! à nobis indicenda fuerunt: primùm quidem Matronæ, sicuti virtutum, quoad vixit, fulgore splendentis, ita nos inter honoratissimæ, pauloque post Viri multorum in Patriam meritorem gloriâ fulgidissimi magnasque, quævis vivus pollebat, ob dotes memorabilis; utriusque tamen provectioris jam aliquantum ætatis, illicque à Mose, coelesti Numine pleno Propheta, *Psalms XC. 10.* definito communi ac ordinario vitæ humanæ termino propinquioris. Exinde verò colligendum non est, mortem seniores tantùm seniove vicinos aggredi, multo junioribus adhuc, quo eos invaderet, tempore relicto. Experientia namque, testis illa locupletissima, tantùm non quotidie nos conducet, ætatem omnem morti maturam esse. Quodsi hodiè fortè senis cujuscumque exequiis interesse nobis contingat, certè, cras æque facillè, juniorum ac adolescentum, mox infantum etiam teneriorum, quin vitam hanc vix ingressorum, celebrari funera, spectaturi sumus: Non enim exspectat mors annos. Nascimur equidem, ut vivamus; at vivimus, ut moriamur. Considerat nos DEUS ad æternam vitam, ut eam vivi, morte non interveniente, ingredi potuissemus; ast tam Diabolus seducendo, quapropter meruit, quem Salvator *Job. II. 44.* homicidam ab initio pronuntiaret, quam Protoplasti, seductori obsequentes, Legem divinam de non comedendo fructu arboris vetitæ, *Gen. II. 17.* transgrediendo, mortem nobis attraxere, *Rom. V. 12.* Haud aliter enim & veracitas divina & justitia poterat, quam ut sanctioni Legi Paradisiacæ adjectæ conformiter poenam prævaricatoribus & posteris eorum, naturali ratione ab ipsis oriundorum, Adamus namque totius humani generis, non physicum duntaxat, sed & morale, caput existeret, i. e. mortem, *Gen. III. 17. 19.* Nam mortem, de qua loquimur, temporalem etiam veram peccati poenam esse, contra Socinianos pariter atque Fanaticos, ob expressam claramque, dicto mox loco, Scripturæ literam, asserimus, non ignari licet, inter Theologos, non solum Calvinio-Reformatos, sed Nostrates etiam ipsos, haud unam & eandem ubique, quatenus mors temporalis peccati poena sit, sententiam reperiri, quas autem in opinionum differentias inquirere, nunc qui-

quidem non vacat, nec ratio præsentis Scriptionis exigit. Interea tamen ut quam certissimum manet, quemadmodum peccati rei sumus, sic omnibus nobis inevitabilem incumbere moriendi necessitatem. Quam autem certum, mori nos oportere, tam incertum est, quandoam, qua ætate, quoque temporis puncto, hoc naturæ debitum nobis solvendum veniat. Habet annus vicissitudines suas invariabiles, est solis ortus & occasus certus, habent, è terrâ quæ producuntur, singula definitum suum & ortus & defectus, vel interitus, statutumque tempus. Flores quonam anni spatio prognascantur & efflorescant, quoque marcescant & deficiant tandem, attenda hortulanos observatio & experientia docere potest, ut, & quando expectandi sint, & quamdiu ordinariè floreat, norint. At in vitâ humanâ, quantum ad nostram attinet notitiam, omnia incerta sunt: incertus ortus, & obitus non minus incertus. Ita quippe supremum Numen hæc suæ providentiæ reservavit, ut solus ipse vitæ pariter ac mortis nostræ Arbitrarius intelligeretur, nihilque nobis in propriam vitam potestatis competere, admoneremur. Sed, ut in aliarum ad nos pertinentium rerum, sic & in vitæ nostræ mortisque directione, inscrutabilia sæpe judicia Domini, ac impervestigabiles illius vias agnoscimus, ut mirabundos cum Paulo exclamare oporteat: *Quis mentem Domini cognovit? Rom. XI. 33. 34.* Alios quippe decrepitam attingere vult ætatem, licet non adeo multum utilitatis ac commodi societati humanæ amplius afferre posse videantur; alios verò, à quibus tamen servitia quam plurima & bonorum quendam veluti cumulum sibi promittere & in posterum expectare orbis poterat, citò hinc decedere jubet. Quod cum experiundo doceamur, quò longum nobis vivendi spatium promittere poterimus? *Quis vitæ suæ calculum in seros producere annos audebit? Imò verò, quis nostrum est de diurno, quin momentaneo tempore securum sese pronunciaturus? Scilicet,*

Stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus

Omnibus est vitæ;

incomparabilis ille vates, Virgilius canit. Et venustus ille Venusinus Poëta:

Quis scit an adjiciant, hodiernæ crastina summæ

Tempora Dî superi?

prudenter judicavit, dummodo unicum illum verum vitæ humanæ Dominum agnovisset. Neque à veritate abludivit, cui immortale literæ nomen comparavere, Cicero, scribendo: *An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo se habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vespertinam?* Quod isti quidem Gentiles homines experientiâ verum agnovere, atque, quantumlibet originem mortis primam & fugacitatis vitæ causam ignoraverint, consuetudinem tamen inde deduxere, mortem mortalibus non quotidie tantum, sed omni horâ meditandam & expectandam esse. Quamto magis igitur nos, quibus eadem ignorari sacræ Pandectæ non permittunt, decebit, omni vitæ tempore mortis nostræ non immemores esse. Novimus enim, nos id, quod moriendi nobis necessitatem imponit, in nobismet ipsis circumgestare. Non ignotum est, peccatum nobis connasci, nec ante mortem è nobis eradicatum iri, *Quod si proinde causa semper præstò est, quí, quæso, aliter poterimus,*

A 2

quam

quam ut effectum omni metuamus momento? Et hoc eo magis, quò
velocius fugit finienda tandem hæc vita. Nam verum si fieri veli-
mus, non nisi continua mors vita præsens hæc est. Etenim, eodem,
quo ingredimur in vitam, momento, ex eadem egredi incipimus, &
quantum ætas crescit, tantum eo ipso decrescit. Incrementum anno-
rum est ipsum eorundem decrementum. Cum vel unicam hæc horam
viximus, eadem ipsa detracta jam est destinato nobis vivendi spatio,
& sic horam morti propinquiores facti jam sumus. Nec opinandum
est, tantillum forte temporis restitutum nobis iri: est enim irreparabile
quodvis præterlapsei temporis punctum.

Nec quæ præteriit, rursus revocabitur unda:

Nec quæ præteriit, hora redire potest.

Quæ cum ita sint, noli, o annis florens juvenus! longam annorum
expectare seriem, seramve tibi promittere senectutem. Prudentiæ
quidem est, in juventute senectutis fortè venturæ habere rationem, &
utinam, in eandem cuncti converterent mentis suæ reflectionem, quò
vivendi rationem sic instituerent, & ita res suas componerent, ac qui-
bus per longum adhuc temporis vivendum sit: ast qui certò sibi lon-
gævitatem pollicentur, indeque nec ita vivunt, ut quovis tempore,
cum DEus evocaverit eos, abhinc decedere læti queant, mortalitatis suæ,
ceu fieri tum solet, propemodum oblitæ, næ illi mortalium omnium im-
prudenterissimi judicandi? Nullibi namque crastinum nobis promissum
invenimus, nec, quæ genus humanum demetit, mors ætatem respicit,
quin veritati experientia confirmatæ conformiter Ecclesiæ canat:

Heut sind wir frisch, gesund und stark:

Morgen tod, und liegen im Sarg,

Heut blühn wir, wie die Rosen roth,

Bald krank und todt.

Quapropter & ea DEum subinde rogare nos docet, qui mortalitatis no-
stræ suscitet in nobis recordationem, ut frequentius nobis obversetur,

Daß wir alhie kein Bleiben han,

Muß'n all' davon:

Gelehrt, reich, jung, alt, oder schön.

Atque hoc condocet, quod hodie ducendum nobis est triste funus, ex
quo, ut exemplo alieno, capiatis, svadeo hortorque, Vobis quod ex
usu fiet. Accepistis etenim haud pridem, mortem præmaturam rei-
publicæ literariæ nostræ non ignobilem Civem, & ætate, & animi
corporisque dotibus eximiis, queis Cælum eum donaverat, floren-
tissimum abstulisse, cujus exuviæ nunc terræ concredendæ sunt, ut
suam in originem revertantur, *Gen. III. 19.* Est ille, vel fuit potius,
Nobilissimus atque Clarissimus DN. THEODORUS VERPOORTEN,
Jur. Utr. Cultor eximius ac præstantissimus, ut in spem fulgidissimæ
Familiæ patriæque Reipublicæ natus, ita non sine ejus damno dolo-
reque, spe ac opinione citius, denatus. Cui, quis nostrum est, qui
non longiorem vitam serosque optasset ac apprecatus fuisset annos?
At verò, non semper eventus votis nostris respondent, nec semper ad-
voluntatem nostram res fluunt, quin providentia Numinis sic cuncta
dirigat, prout ipsius sapientiæ visum. Quod ut aliis in rebus fit, sic
& in hominum vita morteque. Quapropter nihil nunc aliud reliquum
nobis

nobis est, quam ut pie defuncti Civis atque Commilitonis nostri vitæ, quantumvis brevior eadem fuerit, curriculum describamus, quò ejus inter nos memoria superfit.

Quod acturis commemorandus primùm venit ortus ejusdem, ubi, Patriam ipsi, Anno MDCCVI. d. 24. Januarii mensis in lucem hanc edito, fuisse, novimus, Hamburgum, notissimam illam & undiquaque, non à commerciis solum, sed literis etiam ac veræ Religionis puritate, celebratissimam Republicam, quam merito dixeris compendium Germaniæ totius. Parentes, à quibus, dirigente DEO, vitam accepit, contigerunt ei famæ, variis virtutibus partæ, post fata, honestissimæ, ut de his non minus ac illâ sibi potuerit gratulari. *Genitor* enim illius fuit Vir Nobilissimus ac Præstantissimus, DN. ARNOLDUS VERPOORTEN, Civis primarius atque Mercator florentissimus, non exiguorum in Patriam meritorum. *Genitrix* eum ulnis primùm excepit Foemina Nobilissima singulisque, sexum muliebrem quæ ornant, virtutibus condecoratissima, MARGARETHA CÆCILIA von HOLTEN. *Avum* lineæ superioris accepimus exstitisse pereximium Nobilissimumque Virum, DN. PHILIPPUM VERPOORTEN, Negotiatorem præstantissimum & Civem Hamburgensem è primis. *Aviam* verò, non origine suâ magis, ac propriis quondam virtutibus corrufcam, MARIAM EMERENTIAM Schmidten. In sequiori lineâ contigerat ipsi *Avus* Vir Nobilissimus atque Spectatissimus, DN. THEODORUS von HOLTEN, & ipse prædictæ Reipublicæ Civium primariorum ex numero laudatissimus, auff der Peute, & in Menckin, prædiorum Hamburgo vicinorum, Hæreditarius. *Aviam* autem istius lineæ ad extremum usque vitæ halitum filiali pietate veneratus est Nobilissimam omnique decore muliebri fulgidissimam Matronam, ELISABETHAM GERTRUDEM von EITZEN, è florentissima quondam ac celeberrima Eitzeniorum profapiâ oriundam. Quæ ut sola Parentum Beati Nostri ex numero, quæ DEI gratia est, superstat, hujusque dilectissimi sibi nepotis præmaturum obitum acerbè luget; sic ei, unâ cum coelesti solatio, longum omnique parte beatum senium apprecamur.

Ulterius in enarrandis Beati Proavis atque Majoribus progredi non licet, neque multum conducit, siquidem ex iis, quæ fortunæ magis adscribenda sunt, quam à nostrâ voluntate potestateve dependent, perparum nobis accrescere laudis potest. Quæ quemlibet nobilitat, sola sua propria virtus est, nec ideò quispiam laudari meretur, quod progenitores ejus laude digni vixerunt. Neque defuncto DN. VERPOORTEN, ut à testibus fide dignis accepimus, defuere, quæ animos hominum ipsi conciliare, favorem atque benevolentiam mereri valuerunt, proinde in laudum ipsius materiam convertenda. Huc namque, talis ut evaderet, Parentum ejus, jam beatorum, quoad vixerunt, cura omnis & consilia quæque connitebantur. Non ignari verò, sine coelesti benedictione curam omnem operamque humanam frustra negotiis nostris impendi, istam verò sperari haud posse, nisi filius hic suus à DEO in gratiam receptus esset: idcirco properandum sibi rati fuerunt, quo natus ab ipsis, à DEO, per ordinatum illud à Christo regenerationis medium, renasceretur. Adeoque baptizandum eum Ecclesiæ obtulerunt, quò sic ejusdem in gremium receptus,

B

filio.

filiorum DEI & aeternae salutis haereditum numero adscriberetur. Cuius in rei memoriam THEODORI nomen, quod & Avi materni Baptismo receptum nomen erat, impositum ipsi voluere, partim ut, se filium huncce suum coeleste donum, juxta *Psalms CXXXVII. 3.* agnoscere, profiterentur, partim ut eum ipsum, qui se filium Avis, virtutes eorum imitando, dignum gereret, admonerent, procul dubio verò præcipue, ut, audito nomine suo, primæ suæ originis recordatus ita viveret, qui se suaque omnia DEO redderet, vitamque totam DEO datori consecraret. In quo ut proposito suo ac desiderio potirentur, nullis sive curis sive operis sumptibusve pepercerunt, quantascunque illius educatio postulare videbatur, quò ad pietatem & omnis generis virtutem mature manuduceretur. Propterea statim ac ætatis teneritudo permisit, Præceptoribus eum partim privatis, partim publicis instituendum, qui cum religionem erga DEUM veræque virtutis amorem ei instillarent, tum prima literarum inculcarent fundamenta, commiserunt. Quod cum feliciter succederet, atque tam inclinatio, quam aptitudo ingenii ad literarum studia in eo animadvertentur, destinatus eis est, inclyto, quod Patria sustentat, Gymnasio traditus. In quo Professorum, in Scientiis ac Artibus, quas dicunt, liberalioribus celeberrimorum, publicis prælectionibus sedulis ac attentus adfuit Auditor. Præcipue summè Rever. DN. JOH. ALB. FABRITII, S. S. Theol. D. Eloqu. & Moral. Phil. nec non Ampliff. Dn. MICHAEL. RICHEY, Histor. & Græc. Lingv. Professorum, Virorum de re literaria insigniter meritorum ac undique famigeratissimorum, informatione privatâ usus fuit, id operam dans, ut quotidie non nisi doctior ab iis in domum suam reverteretur.

Bene sic satisque præparatus, ut Studiis gravioribus cum fructu tractandis aptus judicaretur, regias Scholas, quas Academias vocamus, adire in animum induxit suum, electo, quod uti princeps respiceret, & in quod omnes intenderet ingenii vires, Jurisprudentiæ Studio, quippe quod genio suo & instinctui magis congruere iudicabat. Allatus itaque fama Virorum Excellentissimorum, qui Kiloniensem Holsatorum Universitatem, cum magna nominis celebritate, illustrent, præcipue HARPRECHTI de HARPRECHTSTEIN, HARTMANNI, KORTHOLTI, hanc primam suorum Academicorum Studiorum nutricem elegit. Quam igitur Anno MDCCXXXV. mense Aprili currente ingressus, prælaudatos sibi Viros ad scopum, ad quem connitebatur, duces expetiit, scholas eorum magno nisu & industria laudabili sectatus. Atque diutius ibi procul dubio perstitisset, coepta prosequuturus, nisi jam tum corpus invadens adversa valetudo locum mutare Patriamque, sanitatis pristinae convenientibus remediis recuperandæ ergo, repetere eum coegisset.

Felix in eo iudicabatur, quod Medicina speratum in ipso fortiri videretur effectum, ægotante corpore cum bona valetudine utcunque reconciliato, viresque rursus acquirente. Quapropter & ipse, Patriæ sibi non diutius inhærendum arbitratus est, sed in Studiorum cursu, ceu ceperat, strenuè pergendum. Quod animo sibi proponenti ad nostram hanc Varniacam sese conferre placuit, quam Anni superioris mense Octobri ad finem ferè producto ingressus est. Statim

tim ac in Civium nostrorum numerum cooptatus esset, ne titulotenus tantum, ut plures, quam optaremus, sed re se Studiosum gereret, de Studiis suis ad majorem perfectionem provehendis sollicitus, privatissimæ sese Viri Præ-Nobiliss. ac Consultiss. DN. PAULI CIESEN, V. J. D. & Judicior. Ducal. Advocati Ord. Fulgidissimi, in Jurisprudencia informationi sese commisit, plura eidem aliorum Collegia juncturus, modò per causarii corporis constitutionem licuisset. Quamdiu verò hæcce permisit, eum industriam, sedulitatem ac attentionem encomio dignissimam adhibuisse, pluraque semper discendi ardorem demonstrasse, laudatus mox ejus Doctor testimonium perhibet fide dignum. Et honestatis laude refertam eum ubique vitam duxisse, tot adsunt testes, quotquot interiorem ejus adepti notitiam sunt. Id sane testari habeo ipse, nunquam unquam Beatum alicujus, quod animadversionem Judicis mereretur, reum actum fuisse, nullam Magistratui creasse molestiam aut negotium faceffivisse. Quod, vellem, imitarentur exemplum, quibus sua petulantia pervasit, nihil Studioso gloriosius, quam sapius commissæ pravitatis accusari, & quotidiè penè, de quo conquerendi, quorundam ab improbitate ac pertinaciâ, plus satis justæ causæ, proh! nobis datur, in judicium vocari, poenisque subjici ac Magistratus correptioni. Quorum ut consortia, cane pejus & angue, vitetis, Vos, quibus melior mens sedet, qui Vobis in memoriam, nos, ut actionum & sermonum omnium, sic & Academicæ vitæ, rationem olim postulatam iri, subinde revocatis, quorum majorem, scio, Vestrum, per DEI gratiam, partem esse, Vos, inquam, non possum non, quin hac occasione hortor moneamque.

Sed, ad Beatum nostrum ut revertar, docuit ille nos novo exemplo, non semper fata votis mortalium respondere. Quam enim de illo vel afflictissima nunc Necessitudo, vel Patria, vel quisquis alius, conceperant, spes omnis collapsa jam est, dum eum in juvenili hac ætate sustulit cuncta rapiens mors. Desfloruit ille juventæ flos, cum efflorescere vix incepisset, nec quos promittebat, fructus decerpere licet. O fallacem igitur spem humanam! O vitam floribus brevioris durationis similem atque caducam! Ut autem constet, quid causæ casum hunc acceleraverit, id exponentem audiemus Medicum famigeratissimum, cui corporis curam Beatus concrediderat, Præ-Nobiliss. Experientiss. & Excellentiss. DN. GEORGIUM DETHARDINGIUM, Med. D. & Prof. Publ. Celeberrimum, Academia nostræ Seniore Gravisimum, qui ita: *Morbum B. Defuncti quod attinet, Cachexia, quæ illum jamdum Chiloni Holsatorum corripuerat, ubi studiis invigilavit, huc advolantem comitata est, & Scorbutum in sui consortium & societatem necis allexit. Non equidem tam cito illi licuit vitæ fila præcidere, quod remediis ex arte præscriptis & paratis sat satis pugnatum fuit, nec modo semel castra hostis expugnata sunt; Ast ac solet, per insidias iterum iterumque invasit, & sanguinis massam turbando tandem vicit, sicque talem Musarum nostrarum Filium abstulit, quem formosum corpus, suavitas morum, eruditio præcox, fortunæque favor voluissent longeviore.*

Quisquis longum suscepturus iter est, id operam dare solet, ut tempestive ad illud sese præparet, instruens se iis omnibus, quæ necessaria sibi fore prævidet, aut quibus indigere forsitan possit. Sumus nos omnes in mundo hoc non nisi peregrinatores,

at, Domino iubente, exeundum hinc nobis est, in patriam ut ingredi queamus. Felicem igitur eum, æternumque beatum, qui ad hoc iter ritè se comparaverit, suaque sic disposuerit, ut quovis tempore illud animo prompto lætoque ingredi queat. Dubium igitur mihi non est, Beatum nostrum, quotiescunque valetudinarium suum corpus intuitus fuit, istius propediem à se ingrediendi itineris postremi admonitum fuisse, proindeque debite ad illud se præparasse, & poenitentia verâque fide in Christum Salvatorem ex Verbo divino cor suum instruxisse, quò bono fiduciaque pleno animo ad illud accingere sese potuerit. Quare cum propius jam illud instare sentiret, vocatus ad eum est Summè Rev. Ampliff. & Excellentiss. DN. JO. JOACH. WEIDENRUS, S. S. Th. D. P. P. & F. C. tis suæ Senior Celeberrimus, ad D. Mar. Past. facundissimus, & Rever. Minist. Rostoch. Director Gravissimus, qui eum, Verbo divino monitum & erectum, non solum peccata confitentem absolvit, sed & sacro corporis ac sanguinis Christi pabulo cibavit, in fidei de peccatorum condonatione speique salutis æternæ per unicum Christi meritum impetrandæ confirmationem. Sed defectus virium abinde magis accrescere magisque videbatur, donec insequente, cum ista fierent, die mors non appropinquare, sed accurrere videretur. Quod cum rescivisset, mox rursus adfuit laudatus ejus Confessionarius, qui, post colloquia precesque sacras, DEO eundem commendatum reliquit, postquam, abiturus, sacerdotalem ei benedictionem impertiisset. Atque sic tandem nocte octavum currentis mensis Julii diem sequuta, hora decima, inter lethiferum lectum circumstantium preces & suspiria, benè placidèque obdormivit, cum, ultra quatuor duntaxat lustra, duos annos cum semestri spatio vivendo complevisset.

Quantum peracerbi doloris præmaturus hic obitus splendidissimæ Beati Familiæ attulerit, conjectu quidem difficile non est: confidimus tamen, eandem in voluntate ejus, qui omnis vitæ fons est, acquieturam, quippe quæ non nisi, ut ipse bonus est, bona & salutaris esse potest. Adsit interim lugentibus, vovemus, DEUS Solator, & efficacia dolori eorum adhibeat lenimenta, quibus ex funere hoc inflicta vulnera non levare tantum, sed omnino sanari queant. Sed & nos, CIVES HONORATISSIMI! defuncto Concivi nostro præstemus, quod Christiana Charitas jubet, deducendum hodie funus & exuvias corporis in dormitorium suum, ad beatam resurrectionem usque, deponendas, quâ fieri potest, frequentiam comitaturi. Id quod decen-
te humanitate Vos etiam atque etiam rogatos velim.

Inter eundem vero singuli cogitemus illud:

HODIE TIBI, CRAS FORTE MIHI!

Valete!

P. P. sub Sigillo Rectorali Academico;

d. 27. Julii, Anno MDCCXXIX.

Conventus Comitum funeris erit

in æde D. Virginis Mariæ nomine appellata,
hora post meridiem prima.

✻ (✻) ✻





m ac in Civiuu nostrorum numerum cooptatus esset, ne titulotenus
 ntum, ut plures, quam optarem, sed re se Studiosum gereret, de
 udiis suis ad majorem perfectionem provehendis sollicitus, privatis-
 mæ sese Viri Præ-Nobiliss. ac Consultiss. DN. PAULI CIESEN, V.
 D. & Judicior. Ducal. Advocati Ord. Fulgidissimi, in Jurisprudencia
 formationi sese commisit, plura eidem aliorum Collegia juncturus,
 odo per caussarii corporis constitutionem licuisset. Quamdiu vero
 ecce permisit, eum industriam, sedulitatem ac attentionem enco-
 io dignissimam adhibuisse, pluraque semper discendi ardorem de-
 onstrasse, laudatus mox ejus Doctor testimonium perhibet fide di-
 num. Et honestatis laude refertam eum ubique vitam duxisse, tot
 sunt testes, quotquot interiorem ejus adepti notitiam sunt. Id sa-
 testari habeo ipse, nunquam unquam Beatum alicujus, quod anim-
 ersionem Judicis mereretur, reum actum fuisse, nullam Magi-
 ratui creasse molestiam aut negotium faceffivisse. Quod, vellem, imi-
 rentur exemplum, quibus sua petulantia persvasit, nihil Studiofo
 oriosius, quam sæpius commissæ pravitatis accusari, & quotidiè pe-
 de quo conquerendi, quorundam ab improbitate ac pertinaciâ, plus
 is justæ causæ, proh! nobis datur, in judicium vocari, poenisque
 hiici ac Magistratus correptioni. Quorum ut consortia, cane pejus
 etis, Vos, quibus melior mens sedet, qui Vobis in memo-
 actionum & sermonum omnium, sic & Academicæ vitæ,
 n postulatum iri, subinde revocatis, quorum majorem,
 n, per DEI gratiam, partem esse, Vos, inquam, non pos-
 in hac occasione hortor moneamque.
 ad Beatum nostrum ut revertar, docuit ille nos novo e-
 semper fata votis mortalium respondere. Quam enim
 ictissima nunc Necessitudo, vel Patria, vel quisquis a-
 rant, spes omnis collapsa jam est, dum eum in juve-
 e sustulit cuncta rapiens mors. Defloruit ille juventæ
 florescere vix incepisset, nec quos promittebat, fructus
 et. O fallacem igitur spem humanam! O vitam floribus
 rationis similem atque caducam! Ut autem constet, quid
 hunc acceleraverit, id exponentem audiemus Medicum
 num, cui corporis curam Beatus concrediderat, Præ-Nobi-
 iss & Excellentiss. DN. GEORGIUM DETHARDINGIUM,
 f. Publ. Celeberrimum, Academia nostræ Seniore Gravis-
 a: *Morbum B. Defuncti quod attinet, Cachexia, quæ illum jam-
 lsatorum corripuerat, ubi studiis invigilavit, huc advolantem comi-
 corbutum in sui consortium & societatem necis allexit. Non
 ito illi licuit vitæ fila præcidere, quod remediis ex arte præscri-
 sat satis pugnatum fuit, nec modo semel castra hostis expugna-
 e solet, per insidias iterum iterumque invasit, & sanguinis mas-
 tandem vicit, sicque talem Musarum nostrarum Filium abstulit,
 m corpus, svavitas morum, eruditio præcox, fortunæque
 t longævior.*
 quis longum suscepturus iter est, id operam dare
 mpeffive ad illud sese præparet, instruens se iis o-
 necessaria sibi fore prævidet, aut quibus indigere forfi-
 umus nos omnes in mundo hoc non nisi peregrinatores,

